

cap. 37.) ut communionem divinitatis simul etiam deificetur humanitas. Ea de causa per sua gratia dispensationem se per carnem infort omnibus credentibus commisit & con-

Senec.

Non est ad astra mollis e terris via. Mentimur Iovem: quid vilas Iovem? Mortale caelo non potest iungi genus.

Idem sentiant Plato in Sympoſ. Apuleius de Deo Socrat. & fusè Plutarch. in Numa: unde Ovidius, 3. Metam. fab. 3. de Semele dicit:

Ovid.

Corpus mortale tumultus Non tulit æthereos, donisque iugalibus arsit.

Gentilitas eligitur pro Synagoga.

Fallebantur. Deus homo factus est, ut homines Deos faceret, factus homo, immortalitatem mortalibus largiturus. Electurus sanè coniungem Ecclesiam pulchram Esther, pro Synagoga Valthis oppignorabitque fidem in tantam felicitatem, quippe sic Deus hominem dilexit, ut filium suum unigenitum daret.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipſis In terris similis, natus Patris omnipotentis, Corpore vestitus.

Sibyll.

Accinuit Sibylla Cumana. Tota cogitatio promissioni hærebat, secumque in solamen loquebatur, Quando hæc erunt? Quod signum adventus tui? In hoc scopum desideria exprimens collium æternorum, in optabile coniugium (ex quo sumptæ carne in Virginis utero, connubij thalamo, Ecclesia dignanda titulo Sponsæ, quippe tunc duo iam non duo, sed una caro) Spiritus-Sancti affamine, quin dicatur, etſi cogitetur, cuius, vel cui, Quis vel Quæ, dicitur in mentis excessu: Osculetur me osculo oris sui. Apud Genebrardus in Metric. exposition.

Desideria Ecclesia pro incarnatione Verbi Dei.

Tot expectatus seculis, Tot predicatus Patribus, Tot ante dictus Gentibus, Tot enunciatus literis, Tot personatus Vatribus, Tot delineatus formulis, Tot concupitus Angeli, Nunc ille me frequentibus Suimet oris osculis, Exosculetur suaviter.

Genebr.

Patet iam, hæccine verba esse locutionem figuratam, sub metaphora filij Pharaonis, in nuptias Verbi incarnandi, & vere futuræ Sponsæ Catholicæ Ecclesiæ. Videſis Augustinum, lib. 8. de Genes. ad liter. cap. 1.

29 Occurrit illicò, quod supra præmisi: quorsùm scilicet ad osculum additur Osculetur? Minimè profectò affectus per osculam offendendus sine actione; nec sine instrumento, nimirum, ore, sine quo non osculum; quippequam labiorum munus. Rupertus hic lib. 1. cap. 1. dirigit verba in Virginem-Matrem, non affectum, sed effectum demonstrans: Deus Pater (inquit) te osculatus est osculo oris sui. Quæ auris audivit? Quis oculus hoc vidit? Cuius in cor hominis ascendit? Tibi autem, ô Maria, semetipsum revelavit & osculans & osculum & os osculantis. Bernard. ferm. 8. in Cant. n. 2. inſit: Si rectè Pater osculans, filius osculatus accipitur; non erit abs re osculum Spiritus-Sanctum intelligi, utpotè qui Patris & Filij individuus amor, indivisibilis unitas. Hoc planè descriptio personarum distinctionis in Trinitate, cum unitate individue nature; ubi in eadem re non idem os & osculans & osculum. Incarnationem Filij Dei his verbis exoptari autumat Greg. Magn. 14. in Iob, cap. 20. igitur quid ut homo mortuus reſurgat, quod Giezi mittatur (nimirum servi vocaturi invitatos ad nuptias) ni Propheta veniat? Neque erit vox, neque ſensus, quousquè ille, de quo locuti sunt propheta priores, ponat os suum super os eius, osculeturque osculo oris sui. Oscula næ per antiquos Vates data ab illo, sed non per illum, quod ad hominis vitam omninò pernecessarium. O Sponse! Non in illorum, sed tantùm hæc diffusa gratia in labijs tuis, qui speciosus forma præ filijs hominum. Merito proinde viſiones & somnia non recipio, figurat & anigmata nolo: ipſas quoque Angelicas fastidiosas species; quippe & ipſos longè superat. Iesus meus specie sua

Maria ex-cilienter dignata à Trinitate tota. Rupert. Bernard.

4. Reg. 4. 34. Incarnatione Verbi Dei conditio humana revocatur ad vitam.

sua & pulchritudine sua. Non ergo aliam, sive Angelam, sive hominam, sed ipsam peto osculari me osculo oris sui. Hæc Bernard. ferm. 2. n. 2. & Theodoret. quò dudum, n. 27. Mitte mihi Unigenitum tuum ô Pater: nimirum diti illum tuam expecto, illum desidero. Laboravi, epistolæ eius accipiens per Patriarchas, per Legistatores, per Prophetas: amplius ferre non possum amoris flammam: ignis est enim ardens, atque ardens in viscibus meis. Per omnes mihi se venturum promisit, neque ab hunc æque diem promissa perficere voluit. Promisit se venturum, ac nuptias perfecturum. Nescio cur differat, cur me ardentem desiderio despiciat. Expecto per singulos dies: Osculetur me osculo oris sui. Iam Propheta misi sunt: O Pater, mitte quem missuras es. Siccine voto Ecclesia potita, cum venit plenitudo temporis: etenim ut ait Paulus, Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Longè vota Ecclesiæ a desiderijs fatidiosa Synagoga delicatula. Loquere tu nobis (dicebat Moysi) & audiemus: non loquatur nobis Dominus. Timebat ne mori, à verbo vite? Hic timor, in Ecclesia verus amor, quò defideratur, quò loquatur Sponsus, aperiat os suum, & osculetur osculo oris sui. Iam enim Synagoga osculum, sed suum, acceperat; nimirum, osculum spiritale sub lege. Osculum spiritale (ait Augustin. de Amicitia, cap. 6.) propriè amicorum est, qui suo una lege tenentur. Non enim sit oris attractus, sed mentis affectu: non coniunctione labiorum, sed commistione spirituum. Plus appetit Ecclesia Sponsa: equidem non solùm ambit osculum, quod amicorum; sed Sponsi osculam oris attractu & coniunctione labiorum. Sic summa felicitatis voti composit; postquam suspirijs protulerat, Quis mihi det te fratrem meum? gloriosè fuit fuscitara, ibi ubi mater viventium corrupta: quod quidem nequibat fieri, ni osculeretur osculo ipsius oris Sponsi. Oscula enim oris significant corporatam præsentiam (subdit Genebrard. hic in Prof.) atque congressum per unionem hypostaticam, sive assumptionem humana substantia in divinam hypostasim, per quam iam osculari corporaliter possit. Augustiniulque lib. 1. de Serm. Domin. in mont. subdit: Ista circumlocutio, qua scribitur: & aperiens os suum; commendat, quòd nunc eum dictum est, aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri aperire soleret orâ Propbetarum. Dicit affectum vel Prophanus, 10. Metam. fab. 9.

Bernard.

Theodor.

Quanta in eius adventu gratia!

Hebr. 1. 1.

Exod. 20. 19.

Quid fit osculum spiritale? Augustin.

Cant. 3. 11.

Genebrard.

Augustin.

Ovid.

Ut præfens speciem, tangamque, loquarque, Osculaque admoveam, si nil conceditur ultra.

30 Inquirat Bernardus, loc. cit. num. 2. Cur Sponsa amore flagrans, haud dicit, Osculetur me ore suo, sed osculo oris sui? Ingeniosè utique respondet, osculum signare coniugium filij Dei in carne (ut celebraret uti Sponsus) venturi. Nec sanè præsumo (ait Sponsa) me osculatum iri ab ore ipsius. Est enim hoc assumpti hominis unica felicitatis & prerogativa singularis: sed humilius, ab osculo oris sui peto me osculari, quod commune utique est multorum, qui dicere possunt: & nos omnes de plenitudine eius accepimus. Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro qua assumitur: osculum verò quod pariter ab osculante & osculato conficitur, Persona ipsa ex utroque compacta, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Hæc ergo ratione sanctorum nemo dicere præsumebat, Osculetur me ore suo; sed tantùm Osculo oris sui: ipsi sanè servantes prerogativam istam, cui singulariter, semelque os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo omnis divinitatis indulsit. Felix osculam, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os oris imprimitur, sed Deus homini unitur. Luculenter profectò. Huic quaestioni Doct. Mellissui addam & aliam non vulgarem: nempe, cur si ex osculo tota totius humane conditionis felicitas, & oscula mutua sunt, quippe osculum est ore ad os sumptum, ut subdit idem ferm. 8. num. 7. non dicit Sponsa: Osculer illum osculo oris mei; sed osculetur me osculo oris sui? Quare ab illo osculum & non ab illa, cum illa optet, dicens: Osculetur me? An quia non illum diligere, ni prius ipse nos diligeret? Uti que, ut altruit Ioannes. Haud ex meritis nostris, sed propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati. Nil ex iure: etſi merita dona Dei, non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Eſset enim præsumptiosa cogitatio vel desiderium osculandi illum, nisi ipse prius osculetur Sponsam. Dicit vel Ethnicus in Rasis, Act. 3. Icen. 1. v. 17.

Bernard.

Theodor.

Quanta in eius adventu gratia!

Hebr. 1. 1.

Exod. 20. 19.

Quid fit osculum spiritale? Augustin.

Cant. 3. 11.

Genebrard.

Augustin.

Ovid.

O Phæbe Apollo! Ut osculer & ipse osculare.

Cum demerita propria intueretur humana natura; ut redamare posset, prius ab ipso optat amari: equidem sine Sponsi liberâ dignatione, aut exprimeret dilectionis flammam.

Aristoph.

Tom. V.

P 2

nam.

mam, sed proprii amoris insolentem arroganter superbiam. Deus hoc amore haud allicitur: superbis philautis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Qui dives est in misericordia, propter nimiam ebaritatem suam* (inquit Paulus) *qua dilexit nos, cum adhuc essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo (cuius gratia estis salvati) & concessit nobis, & confederat in celestibus in Christo Iesu, ut ostenderet abundantem divitiarum gratiam suam.* Intuitum sequitur Bernard. ubi supr. *serm. 3. num. 1. & serm. 8. num. 1.* Unde neque ista, quanquam multum presumens, audent tamen dicere. Non est enim cuiusvis hominis, ex affectu hoc dicere. Ego autem arbitror, neminem vel scire posse quid sit, nisi qui accipit. Est quippe Manna absconditum; & solus qui edit, adhuc esuriat: est fons signatus, cui non communicat alienus; sed qui bibit, adhuc sitiet. Minime ergo id sibi arroget.

31. Eruius ergo testimonij nucleum, cuius argumentum Patribus negotium tantum facisjrit: modo in corticem haud inspidum, quippe pulcherrimæ imaginis involucri quod devolvemus sedulo, ut clareat quid contineat textus intus & foris. Singillatim igitur quasi per partes agendum: *Osculetur.* Primo intuitu in femina osculum ut quid indecorum sonat. Ad indecoris cordibus videbitur indecorum; cum sit metaphoricum, osculum sanctum, sanctum indicans connubium, maxime apud Hebræos, inter quos osculum pignus desponsationis. Ita ait tunc Terullian. de *Veland. Virgin.* cap. 11. & Augustin. 4. *Confess.* cap. 8. inquit: *His atque huiusmodi signis à corde amantium & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, per mille motus gratissimos quasi somitibus animos constare, & ex pluribus unum facere.* Theocrit. *Egyl.* 3. v. 18.

Nympha amplectere, ut te deosculer.
Adi Aben Ezra hic, cuius commentarium invenies in Genebrardo. *Osculum pignus est nuptiarum:* ait Ambrosius, *Epist.* 2. ad Marcellam. Signat Virgilius, 1. *Æneid.* v. 691.

Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet.
De osculo nuptiali agunt plures Iurifconsulti. Gregor. Tolosan. *Symtagm. iuris,* lib. 9. cap. 5. & 8. Dominic. à Sancto Geminiano, *Consil.* 24. n. 16. Arnold. Ferronus in *Consuetud. Burdegal.* titul. 4. de *Dote,* s. 1. & Tuschy, 1. O. conclus. 206. Videris plura apud Alexand. ab Alex. 2. *Dier. Genial.* cap. 5. ibi Tiraquell. & Iul. Cæsar. Scaliger. 3. *Poëtic.* cap. 100. Casta enim oscula non turpitudinis, sed amoris sunt indicia. *Fœmine pudico pudare:* ait Clem. Alexandr. 3. *Pædag.* cap. 11. *Tria sunt osculandi genera: Osculum, scilicet, Basium & Suavium. Oscula officiorum sunt; Basia, pudicorum officiorum: Suavia, libidinum, vel amorum.* Ita Donatus in Terent. *Eunuch.* Act. 3. scen. 2. v. 3. Idem Lælius Bisciola, Tom. 1. *Horar. subsecivar.* lib. 7. cap. 13. & Godefridus Stevvech. in illud Apuleij *Metam.* 1. *Amplexusque, ac comiter osculatus.* Discrimen etiam expressit Seneca, *Epist.* 75. *Aliter homines (inquit) amicam, aliter liberos osculantur: tamen in hoc quoque amplexu tam sancto & moderato satis apparent affectus.*

32. Osculum amorem sanequàm præ se fert; sed aliquando servilem: olim osculo exprimebatur subiectio, vel propter obsequium, vel propter servitium: queis animas reverenter maiestatem superioris in ordine demonstrabat: quo intelligitur illud Pharaonis in exaltatione Ioseph, *Genes.* 41. 40. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediens.* Hebr. *Super os tuum osculabitur omnis populus meus.* Maluend. *Hoc subiectionis signum:* quod etiam astruit Arias Montan. in *Idiotism.* ling. Hebraicæ. Hocine stylo innotejcit reverentia, adoratiove quæ olim communis ad Reges & Proceres: *Genes.* 23. 7. 33. 3. 1. *Reg.* 25. 41. & 3. *Reg.* 1. 16. alibique sæpe. Hinc Psalm. 2. 12. ubi; *Apprehendite disciplina: reverentiam scilicet,* Hebr. legit: *Osculamini filij.* Maluend. *Osculamini filium.* Osee. 13. 2. *Vitulos adorantes:* Hebr. *Osculantes.* Propositum signat Suetonius, referens maiestatis Augusto futuræ somnium. *Quasi Iupiter* (inquit in eo, cap. 94.) *compluribus prætextatis tatorum à se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, eiusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.* Sic Plinius. *In adorando dextram ad os referimus:* lib. 28. cap. 2. quippe manu porrecta & ad os relata, quasi osculo exhibebatur adoratis reverentia.

33. Ritus erga Deos haud fuit proxime ad os applicando labia; sed extrema digitorum manus dextræ ori suo adorantes admoventes, versus idolum porrigebant. Nos utique hocine utitur cultu, in occurso amicorum, vel superiorum, exprinendo urbanè, religiose, piæque grati animi benevolentiam, ac in obsequium expeditam prom-

Ephef. 2. à v. 4.
Bernard.
Augustin.
Theocrit.
Ambros.
Clemens Alex.
Donat.
Senec.
Sueton.
Plin.

promptitudinem. In Scriptura occurrit ritus Ethnicus, & adorantium sacrilegè intuitus. Iob, 31. à v. 26. *Si vidi Salem, cum fulgeret, & Lunam incendentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meo:* quippe mos apud Græciles salutare Luninaria cœli: quæ cum non possent osculari, manum exosculabantur, Lunam adorantes & Solem. Idem usus in Idola: 3. *Reg.* 19. 18. *Os quod non adoravit eum* (Baäl) *osculans manus.* Unde constat ritus Ethnicus, potissimum in orta Solis, de quo egimus, Tom. 4. T. 3. n. 13. Adi Brisson. 1. de *Formal.* & Initum Liptium, lib. 2. *Electior.* cap. 6. *Si sanum ali-* quod prætereat, nefas habet, adorandi gratiæ manum labris admoovere: inquit Apuleius *Apolog.* 1. Aliquando, ut indicaretur cordium cultus, non manum in adoratione osculabantur; sed labia eformabant in osculum, illucque dirigebant imprimentes in aera, ubi eminus erant idola, vibrantes labia; uti floride dicit Terullian. *Apolog.* cap. 10. Hocineque sensu Petron. in *Satyr.* fol. 76. inquit: *Labia crepitabant.* Marcial. 1. *Epigr.* 77. *Bafia sola crepant.* Claud. in *Epithal.* Paladij, v. 131. *Oscula mille sonant.* Ovid. denique, 3. *Trist.* eleg. 5. v. 16.

Et singularitatis oscula mista sonis.
Sic igitur aliquam feminam pulchram aspicientes, osculabantur osculis Numinis. *Multicivium* (ait Apuleius de Psyche, 4. *Metam.*) *quos eximij spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, in accessu formositate admiratione stupidi, & admoventes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem referente* (perpende obviter Crucis formam, quam nos in iuramentum effingimus, ab Ethnicis, quin quid scirent, figuratam & osculatam) *ut ipsam prorsus Deam Venere religiojis adorationibus venerabatur.* Interdum idolum osculabantur expulso timore, uti ait tunc Cicero in *Verr. act.* 4. *Ibi est ex are* (inquit) *simulacrum Herculis, quo non facile dixerim me quicquam vidisse pulchrius: usque adeo, iudices, ut ritum eius & mentum pauid sit attritius, quod in precibus ac gratulationibus non solum id venerari, sed etiam osculari solent.* Vide Cæsaubon. in Sueton. *August.* cap. 94. Turneb. 4. *Advers.* cap. 15. & Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

34. Si idola occulta, quippe clausa templa; postes Ethnicus exosculabantur. *Cum per omnia* (inquit Arnob. lib. 1.) *sapienter irent templa, cum Deorum ante ora proferrati limina ipsa converterent osculis.* Virgil. 2. *Æneid.* v. 490. & Tibull. 1. *eleg.* 2. v. 87.

Amplexaque tenent postes, atque oscula figunt.
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis.
Et dare sacratis oscula liminibus.
Plaut. in *Mercator.* Act. 5. scen. 1. v. 1. *Linen Superum, Inferumque salve.* Vide Tit. Liv. lib. 44. *sectio.* 34. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 10. & Turneb. lib. 12. cap. 5. *Feminae utpotè superstitioniores, post osculis salutatum limen, capillis expansis verrebant aram.* Livius lib. 3. *sect.* 24. & lib. 26. *sect.* 42. Inquit: *Matronæ circa Deum delubra criminibus passis aras verrentes.* Statius, 4. *Thebaid.* v. 193. & Lucan. 2. v. 29.

Fallere, & incultos aris advertere crimes.
— Cultus matrona priores
Deposuit, moestaque tenant delubra caterva.
He lachrymis sparsere Deos, hæ pectora duro
Afflaxere solo, laceraeque in limine sacro
Attonita fudere comas.
Morem præcùm refert Mamertin. ad Maximian. *Panegyric.* num. 30. *Matres Itale pensa manibus abiecerunt, parvos liberos abreptos ad templatæ axerunt: ibi sedes sacras passo capillo suo quaque verrebant.* Idem Apuleius, ut videbimus illic. Sæpèpius pedes exosculabantur Idolorum. *Exosculatis vestigijs Dea:* ait Apuleius *Metamorpp.* lib. 2. & lib. 6. *Tunc Psyche uberi sietu rigans Dea vestigia, humumque verrens crinibus suis, multijugis precibus editis, veniam postulabat.* Ex quo mos osculandi vestigia humi impressa dilectorum, ut notant Commentatores Persij, in illud *Satyr.* 2. v. 38. *Quicquid calcaverit hic, rosa fiat.* Ovid. *Epist.* 15. v. 332.

Teque novam credet vulgus adesse Deam.
Causam signavi, Tom. 3. *Tautol.* 1. num. 28. ibi videtis. Pro veneratione, ac reverentia summa, vel projectione in humili statu accipitur in Scriptura osculatio vestigiofum: *Isai.* 49. 23. *Vultu in terram demisso, adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent:* & cap. 60. 14. *Adorabunt vestigia pedum tuorum:* idest, osculabuntur: sicut Psalm. 131.

Ritus Eth.
aicus ado-
ranti per
osculum.
Apulei.
Varia gene-
ra osculan-
di.
Ovid.
Apulei.
Forma cruci-
culata
ab Ethnicis,
quin scirent.
Ciceron.
Postes oscu-
lari.
Virgil.
Tibull.
Plaut.
Strata &
sim no.
Livijs.
Statius.
Lucan.
Etiam cap-
illis verrebant.
Mamertin.
Pedi idolorum exos-
culari.
Apulei.
Ovid.
Isai. 60. 14.
7.

7. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Eousque pervenit olim Ethnicorum Principum arrogantia, & adiatrephia, ut sibi arrogarent huiusmodi cultum, igitur pedes porrigebant in osculum. Capitolinus refert de Maximino, Dio de Cal. Caligula, quem articulum taxat severè Seneca, 2. de Benef. cap. 12. Caligula porrexit (inquit) osculandum finistrum pedem. Param enim fœdè furiosque insolens fuerat, qui de capite Conularis viri focatus audiebat, nisi in os Senatoris ingessisset Imperator pigros suos. Pompon. Latas in impio Diocletian. subdit: Imperatores antea manus excusculandas nobilibus præbebant, p̄st suis manibus subleabant ad oris osculum. Vulgus genua excusculabatur. Diocletianus edito sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati, pedes excuscularentur: quibus etiam venerationem quandam abhibuit exornans calcamenta auro, gemmis & margaritis, quod fecisse ante Catum Caligulam memorant. Reperit ex ipso habitu, ut Deus haberetur. Econtrà verò Plinius Panegy. Traiano, ait: Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. In sacra pagina tantum constat osculatio pedum Asstertoris N. à Magdalena. Quid mirum? Vel illa singulari reverentiâ haud fatis Salvatoris dignitatem, excellentiamque expressit, estò cordis flammam demonstraverit. Rumpantur ogganientes hæretici, audientes à Regibus fieri huiusmodi obsequium erga Vicarium Christi, Pontificem Maximum. Induuntur confusione, dum Catholicis induunt reverentiâ. Inflat igitur Heterodoxi dominationem Pontificis dum spernunt, maiestatem in maiestate blasphemant.

35. Olim etiam osculabantur cives Principum genua, de quo passim Homerus 17. Odys. v. 35. addit: *Osculate sunt caput & humeros.* Catull. Epig. 9. *Applicansque collum iucundum os, oculoque suaviabor.* Ovid. 3. de Art. v. 310. *Oscula ferre humero.* Petron. ubi supr. fol. 54. *Modò implebat osculis pectus:* & fol. 11. *Cervicem invastit, & non repugnanti oscula dedit.* Vide Salas hic, qui plura congerit. De osculo in fronte, quod pudicissimum, agit Cæl. Rhodigin. lib. 3. cap. 26. Caput quoque exhibitum in osculum, sed per caput arbitror frontem, præut genis aut labris opponitur. Apuleius, quò dum lib. 2. inquit: *Osculato capite.* Plutarch. in *Vit. Alexand.* de Philippo gaudente filium domuisse Bucephalum, ait: *Illacrymassè præ lætitiâ commemoratur: caputque filij osculatus dixisse: O nate! regnum tibi par quare.* Hoccine osculum dicebatur militare, quippe frequenter libabatur inter commilitones. Virgil. 12. *Æneid.* v. 434. & Statius, 4. *Thebaid.* v. 20.

Summaque per galeam delibans oscula.
Inserere amplexu galeis iuvat oscula clausis.

Osculum manibus frequentius expressione venerationis, & obsequij. Seneca, *Epist.* 2. & 46. Sueton. in *Tiber.* cap. 34. in *Caligul.* 56. in *Domitian.* 12. Tacit. 15. *Annal.* cap. 71. & Martialis. quolibet utque in fastidium. 36. Amici & familiares abeuntes & advenientes dimittebantur & excipiebantur osculis. Apuleius lib. 2. *Ut primum me conspexit, est, inquit, Lucius: & offert osculum.* Advenientem Venerem osculatur Jupiter. Virgil. 1. *Æneid.* v. 260. *Oscula libavit nate.* Ovid. 1. *Trist.* Eleg. 3. v. 58. *Quasi discedens oscula summa dedi.* Adi Plin. lib. 14. cap. 13. *Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 19.* Cæl. Rhodigin. lib. 4. cap. 3. & lib. 30. cap. 8. & Plutarch. in *Uticens.* De Traiano asserit in præfatio Panegy. Plinius: *Gratum erat cunctis, quod Senatuum osculo exciperes, sicut dimissis osculo fueras:* uti huius Principis emicuit comitas, ita Neroni insolens atque rustica inurbanitas. Neque advenientes, neque proficiscens quemquam osculo impartivit, ac ne resalutatione quidem: ait Sueton. in eo, cap. 37. Idem de *Tiber.* cap. 10. malè nonnunquam audiebat, in quo huiusmodi humanitas desiderabatur.

Gharis multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula.

Succinit Horat. 1. *Carm.* Od. 36. v. 5. Usus apud Romanos leges in Martiali, lib. 2. *Epigram.* 23-5. 7-7. 94-11. 99. & 12. 59. Apud Persas, æquales dignitate ac sanguine, mutuò osculari, si occurrerent; inferiores superiorum osculari genua; tradit Herodorus, lib. 1. Apud Megarenses erat quotannis certamen osculorum, de quo in *Ephe-mer.* 11. Mart. Apud Lacedæmonios oscula non concessa modò, sed etiam instituti ludij, propositaque præmia: Inquit Pier. Valer. lib. 22. cap. 4. additque quod rideas. Notè sunt humanissimi Gallorum mores, qui passim oscula tanto studio colunt; ut honori sibi ducant, quò adveniens hospes uxorem, sorores, filias etiamnum virgines osculo adhibito salutaverit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi asidere iusserit.

Sandè

Sandè humanissimi sunt. Definit Ovvenus, lib. 2. *Poster.* *Epigram.* 29. *Gallica virginitas parvarum est propria virtus: Virgini hic titulum sola pusilla gerit.*

Ovven.

Cæl. Rhodigin. ait lib. 30. cap. 10. Gallorum pueros initio sapientes videri, mox auctiores factos desipere. A doctissimis proditum est: de quo latè Tautol. 8. n. 54. Unde constat huiusmodi incircumpectionem esse castitatis iugulum, ac lascivix foculum: fatius esset ostendi rusticos, quam ita urbanos.

Cæl. Rhod.

37. Apud Hebræos mos micat ex sacra pagina. *Genes.* 29. 11. *Exod.* 4. 27-1. *Reg.* 20. 41. *Tob.* 10. 12. *Luc.* 7. 45. Unde, 1. *Reg.* 10. 4. *Cùm te salutaverint.* Hebr. legir: *Osculati fuerint:* Vide Maluend. in *Psalm.* 2. 12. Petrus 1. *Epist.* cap. 5. 14. ait: *Salutate invicem in osculo sancto.* Idem Paulus, 2. *Cor.* 13. 12. Sanctum dicebatur osculum, non modò quia pudicum; sed quia non proditorium, ut Iuda: Chrilto, & Ioab Amasæ & Abner. Indicabat omnes fideles fratres esse concordia, communionem ac charitatè; ut dicit Augustin. lib. de *Amicitia.* Ita usus in primitiva Ecclesia: ac nequaquam inter viros & fœminas, quippe seorsim separatis in locis sedebant ad orationem, ut alitru Bificiola, quò supr. liter. S. Diaconissa erat huiusmodi munus: ideo à S. Ignatio *Epist.* ad Antiochen. dicuntur *Custodes templorum:* distincti enim oltijs viri & fœminæ in templa ingrediebantur, quibus præerat diaconissa, ne perturbaretur ordo, intusque illarum primaria introeuntibus distribuebat loca. Adi Clement. lib. 3. *Constit.* cap. 15. Epiphani. *Hæres.* 79. Theodoret. 3. de *Ecclesiast. histor.* cap. 13. & Canonistas *Diaconissam* 27. quæst. 1. Quia à parum circumspectis signum benevolentix detortum in blandimnis fastidios fuerat abusum, quasi histerionice exprimeretur amicitia; de quibus Martialis, lib. 11. *Epigram.* 99.

Osculà pro salutatione. 1. Petr. 5. 14

Quid osculum sanctum

Munus diaconissæ

Effugere non est Basse bastatores:
Instant, morantur, prosequuntur, occurrant,
Et hinc & illinc, usquequaque, quacunquè, &c.

Martialis

Inventum, ingredientibus in ædem sacram imaginem offerre Crucifixi osculandum, quam dicebant *sacram tabellam.* Clem. Alexandr. 3. *Pædagog.* cap. 11. & 12. & Gentian. hic. *Nihil aliud osculo, quam Ecclesias conturbant.* Pridem in Orat. ad Christianos, indicat Athenagoras: *Charitas (inquit) non in osculo, sed in benevolentia indicatur: at illi nihil aliud osculando faciunt, quam commovere Ecclesias, cum interiùs non habeant amorem.* Hoc verò turpem movet suspicionem, & ansam dat blasphemix, quòd osculo utantur impudenter, quòd aliquot oportebat esse *Mysticum.* Mylicum utique, quo utitur Catholica Ecclesia: hinc Pictius Valerian. ubi supr. n. 36. modulatur:

Clemens Alex.

Athenag. Abusum osculati sancti.

Ipse etenim castà dum operatur mente sacerdos,
Oscula dat, quæ dent ille vel ille alijs.

Pier. Valer.

38. Quid circa oscula præmissi tam apud sacros, quam apud profanos Auctores; ut clarius eluceat sensus cogitationis Sponsæ: quæ quidem haud officij osculum petit; sed osculum amoris pudici & casti, in signum flammæ ætuantis pectoris, ac in demonstrationem fidei dilectionis Sponsi. Pro signo amoris dicit Isaac: *Damibi osculum.* *Genes.* 27. 26. de huiusce indicis defectu, seu retractione queritur Laban, cap. 31. 28. *Non es passus (ait) ut oscularer filios meos, & filias: quinimò Salvalor N. in domo Simonis huiusmodi urbanitatem desideravit; igitur illi dixit: Osculum mihi non dedisti.* *Luc.* 7. 47. Vehementior amor Sponsæ in dilectum, & quia Sponsa, petit osculum, quo sine frigidus ignis amor, ac sine fidei pignore dubia fides: equidem est sint oscula, sunt statui consona, ac pudicissima, signa firmissimi amoris & animi redamantis. *Per ius osculi, & blanditiarum occasiones pallectus in amorem,* ut ait Sueton. in *Claud.* cap. 38. Plautus in *Pseudol.* Act. 5. scen. 1. à v. 11.

Osculum signum amicitie.

Quid ius osculati

Est homini quamobrem vitam amet: hic omnes
Voluptates, in hoc omnes venustates sunt.

Plaut.

Deis proximum esse arbitror: nam ubi amans complexus est
Amantem, ubi labra ad labella adiungit.

Apulei. Theocrit.

Apuleius Metam. 2. In amoris paritatem iam patentis oris inbalatu cinnamea, & occurrant
santis lingua illisu me hæreo prona. Exprimat Theocrit. *Idyl.* 27. v. 4.

Est etiam in osculis dulcis voluptas,
Da mihi, iterum ut osculer.

Ubra pro labij.

Docum exprimit faucia charitate Sponsa: Osculetur me (inquit) osculo oris sui; quia me

hiora

hora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Ubra pro labris: quare Hebr. Charitates, dilectiones, amores. Ideo petit osculum, quia charitatis signum, dilectionis argumentum; quippe labia fragrantia cedamtionis pignora: & tantisper quiescet anhelans cor cupita in ambitu pectoris, igitur amor cognoscitur per amores. Petronius ingeniosè in Fragment. Metr. 32.

Petron.

Sic sic sine sine feriati,
Ne languescat amor: pereatque flamma,
Simul vivamus exosculantes;
Hic nullus labor est, ruborque nullus:
Hoc iuvat, iuvat, & diu iuvabit:
Hoc non deficit; incipitque semper.

Bernard.

39 *Osculetur me osculo.* De geminatione verbi & nominis idem significantium, diximus saepe epitaliam in affectibus sonare; igitur demonstratur vehemens desiderium (phrasi Bernardi, *Desiderium triplex*; ut inquit *Serm. 5. Omnia SS. n. 5.*) quo cordis igniti erga dilectum flammescit amor, & flammæ patescit fervor. Propterea Hebr. *Osculabitur me osculis oris sui.* Astipulatur cogitationi Ambros. lib. de Isaac, cap. 3. Non unum osculum querit, sed plura oscula, ut desiderium suum possit explere; ita se amplius dilecto commendare consuevit. Osculum est enim (inquit) quo invicem amantes sibi adherent, & veluti gratia interioris suavitate potiuntur. Per hoc osculum adhaeret anima Deo verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis; sicut etiam ij, qui se osculantur non sunt laborum delibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere. Osculum est summa amoris & amantium, utpotè arcissimæ familiaritatis ac conjunctionis indicium.

Ambros.
Per osculum
unitis ani-
marum am-
tium.

Claudian.

Linguis assidue reddite mutuis,
Et labris animum conciliantibus.
Accinit Claudian. in *Nupt. Honor. Od. 4. v. 22.* Ovid. *Epist. 15. v. 241.* Narravi potus amorem: & Propert. *lib. 2. Eleg. 15. v. 9.* *Quantum oscula sunt labris nostra morata tuis.* Plato apud Gellium, lib. 19. *Noct. Attic. cap. 11.* & ex hoc Macrob. *lib. 2. Saturnal. cap. 2.* ostendit, quam suaviter anima illaqueetur osculo.

Elati

Dum semibulco suavio
Meum dilectum suavior,
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite;
Anima tunc agra & faucia
Cucurrit ad labia mihi,
Orisque rictum pervium
Et labra illethi mollia
Rimata itiner transitus;
Ut transiliret, nititur.
Tunc si mora quid pluscula
Fuisse iunctione osculi,
Amoris igne percita
Transisset, & me linqueret;
Et mira prorsum res foret,
Ut ad me fierem mortuus,
Ad eum ut intus viverem.

Eodem sensu; quasi libato osculo extra se, epigramma aliud ingeniosè confectum sic:

Idem.

Suavia dans Agathont animam ipsa in labra tenebam:
Agra etenim properans quasi abitura fuit.
Amor namque tunc ut mors, fortissimus, pernix, alatus, quo anima validè icta & dulcedine vulnerum, tendit spontè simul captiva in dilectum; ut sit osculata unum cum osculante, uno spiritu in corpore utriusque: ita ut in illum quoad fieri possit, irremediabiliter transformari desideret. Hoc in statu

Amant vi-
vit in dile-
cto.
Ovid.

Non duo sunt, sed forma duplex:
Neutrumque & utrumque videtur.

Ut succinit Ovid. 4. *Metam. fab. 11.* & Guilielmus Hesius libr. 3. de *Charitat. Emblem. 24.*

Mirabar quid amans toties ab amante rogaret;
Fige, decora meis oscula fige labris.
Iam scio: languet amans, animâ nisi vivat amantis,
Incipiat celo velle patente frui.
Oscula dant animos, animis sociantur amantes:
Una etiam gemino vita sub ore latet.

Hesius.

Hoc totum desiderium Sponsæ, haud propria, sed dilecti animâ suaviter vivere; quæ quidem felicitas, per donum osculi. Vide dicta in propositum, *Tom. 3. T. 13. à n. 20. & Didasc. 4. ibid. per tot.*

40 Ad osculi conjunctionem cum osculo, seu potiùs ad actionem in effectum cum effectu actionis, nimirum, osculo osculari, quum osculum haud confert osculo; facilis occurrit difficultatis delicatio per metonymiam, usurpato effectu pro causa, sive instrumento ad effectum. Quia propter in auctoritate, *Osculetur me Osculo*; ly *Osculo* lumen-dum pro labijs, ex quibus osculum. Ovid. 1. *Metam. fab. 9.*

Metonymia.

Videt igne micantes
Sideribus similes oculos: videt oscula, qua non
Et vidisse satis.

Ovid.

Videt oscula, idest, labia, aut os. Martial. 11. *Epigram. 91.* eodem sensu: *Crudeles ederunt oscula morbi.* Aufon. *Epist. 25. v. 27.* *Tua oscula signet:* ubi Elias Vinet. num. 491. *Os tibi claudat.* Apuleius *Orat. de Philosoph. natural.* inquit: *Linguae & dentium vallum & ipsius osculi venustus accessit.* Denique Petron. quo nuper, fol. 71. *Osculum* (hoc est, labra) *quale Praxiteles habere Dianam creditur.* Siccine testimonij sensus, & Sponsæ animus est: *Osculetur me labijs oris sui.* Amplius elucebit ex sequentibus.

Oscula pro
labijs.

41 Post verbum & nomen idem significantia, etiam instrumentum in osculum additur: *Osculetur osculo oris.* Hebraismus est, quo diversis in idem vocibus ostenditur, quod optatur, & quam anxie optetur: etenim præ fertur deliberatio voti plenissima, vel in actione minima incogitantia, sed diligentia studiosa, ut supr. vidimus ex 3. *Reg. 19.* *Reg. Os osculans;* & *Iob. Osculatus sum manum meam ore meo.* Hellenismus est etiam. Euripid. in *Phoeniss. v. 1665.* *O charissime frater! Os tuum labris applicatis exosculabor:* in *Supplic. v. 1138.* *Dulcis oris ad os osculationes.* Sophocli. in *Trach. v. 947.* *Osculo amplectens ore.* Theocrit. *Eyl. 15. v. 129.* *Pungit osculum in roseis eius labris.* Securi sunt Graecismum in ampliore animi expressionem Latini. Ovid. 10. *Metam. fab. 8.*

3. Reg. 19.
18.
Iob. 31. 27.
Gematio
in effectus
vehementiâ.

— Oraque tandem

Ore suo non falsa premit: distaque oscula virgo
Sensit, & erubuit, timidumque ad lumina lumen
Attollens, pariter cum celo vidit amantem.

Ovid.

Lucret. 4. de *Rer. natur. v. 1105.* *Iunguntque salivas oris:* & v. 1191. *Oscula labris.* Usus est huiusmodi pleonasmio Gregor. Nazianz. in *Traged. de Christo patient.* vers. 2387. dicens:

O pressa nostris labra labris suaviter!

Et Bernard. *Serm. 1. in Assumption. Virgin. num. 4.* *Felicia prorsus (ait) oscula labijs impressa lactentis, cui virginico mater applaudebat in gremio.*

Greg. Naz.

Bernard.

42 At aliquid in oris expressione (maximè cum dicit, *Sui*) sibi cognitum, alijs oculum intendit pectus Amatiæ, cui promissæ è celo nuptiæ. Explanat Gregor. Mag. lib. 14. in *Iob. cap. 20.* In osculum Sponsus prius aperuerat ora prophetarum: quot Sponsa ex eis acceperat nuncia, quasi tot dulcia prælibaverat oscula: *Hinc est* (inquit) *quid de illo, à Sponsa presentiam eius desiderante, dicitur: Osculetur me osculo oris sui.* Vide num. 29. Ibi diximus ex amicorum officio oscula libari, qui obsequijs siccine complacentiam ex coniugio Sponsi Sponsæque quasi paranymphei demonstrabant. Unde Baptista qui non erat Sponsus (quoniam duntaxat *qui habet Sponsam, Sponsus est*, de quo suo loco, *Tom. 3. Tautol. 11.*) sed amicus Sponsi, gaudio gaudebat propter Sponsi vocem. Ita ergo *Psal. 44. 13.* quia amici Sponsi illam ad nuptiarum consensum alliciebant, dicitur. *In manibus vultum tuum deprecabantur omnes divites plebis.* Apud Claudianum huiusmodi inter Procere invenitur consuetudo.

Ora.

Tom. V.

Q

Oratum nisi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent. Ante fores iam pompa sonat.

Claudian.

Dicit in Nupt. Honor. v. 33. & 286. Hi ergo cum mandata essent oscula, erant os Spon- si: iccirco Ieremie dicitur 15. 19. Quasi os meum eris: dedi verba mea in ore tuo: cap. 1. 9. Annuntiarunt retrò seculis huiusce festiuitates coniugij, electi ac insignes prodromi; nuptias & aduentum dilecti notam facientes Sponsa. Audit læta præ nuncio, sed minime gaudio pleno; quippe adhuc aberat, quem cupiebat, dilectione plena & osculi Sponsi vacua. Unde cum osculis lactaretur, & ni Sponsi haberentur ut fastidia, quæ mittebantur ut gaudia; ut esset plenum gaudium præsentia Sponsi; Osculetur me (dicit) osculo oris sui. Osculum oris sui erit fatietas amantis. Illa per alios alia, non gloria plena, est gloria; sed in Sponsum vehementioris amoris irritamenta. Querit Sponsum, non nuncium: querit quem diligit anima, haud per quos nunciantur dona.

O tenerum gestamen ulnarum!
O dulcis habitus corporis!
Applica os.

Ut aliò dixit Euripid. in Troadib. à v. 752. Osculo aboleri præterita placet. Odia detame- scunt, epulaque ad certamen prolata conciliant hilaritate conuiuio: uti aiebat Pe- tronius in Satyr. fol. 50. Ad rem Sanctius hic num. 5. Quæ iam saepe ab eo exilarata fuerat, & recreata osculis, per alieni tamen oris ministerium impressis; optat Sponsa ab ore Sponsi sui oscula libere. Hoccine osculum completum, seu osculari osculo; quo- niam huiusmodi amores & charitates recreantes animos, completæ dumtaxat inter Spon- sos. Oscula implevit: subdit Euripid. in Orest. v. 464. Id est, os ad os. Totum osculatus est circumplexus, ut ait Homer. 16. Odyss. v. 21. Hic delicia, hic gaudia, hæc vera oscula, amantis dulcis præsentia.

43 Hinc ut dignetur, addit: Me. Me, ut ex nigra fiam per osculum formosa, ex lan- guente valida, atque ex odiosa dilecta. Me. Quam, ut Me intelligamus? Arbitror per ly Me intelligi Ecclesiam novam nuptam, & ex Gentibus collectam; quam mundauit osculo, egredientem è pectore lanceæ dirisimo idu: Mundans lavacro aquæ in ver- bo vitæ; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Chri- stus Ecclesiam: uti ait Apostolus Ephef. 5. à v. 26. & Rom. 9. 26. Et erit in loco, ubi di- ctum est eis: Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filij Dei vivi. Idem Osce, i. 10. igitur quæ abominabilis, cuius osculum etiam impuri vitabant (ut aliò dixit Senec. 4. Benefic. cap. 30.) in gratiam admittis, osculo cuncta sunt ei remissa peccata. Filiam inquirens per concava vallium, per defossa terrarum, per frera & scopulos lassitudine defessa Ceres, pervenit in Atticam. Ibi invitata à sene Celeo in domum subsequitur.

Dux comiti narrat, quòd sit sibi filius ager.
Nec capiat somnos, invigiletque malis.

Ita relatum ab Ovid. 4. Fastor. à v. 529. Multa cogitavit in pueri salutem mota Dea nox mine matris: verum medicina præsens.

Matre salutata, luctu vidit omnia plena:
Lungere dignata est os puerile suo.

Pallor abiit, subitaque vident in corpore vires;
Tantus celesti venit ab ore vigor.

Quod ibi factum, hic factum. Nunquam (dicam cum Seneca, de Tranquillit. cap. 11.) me in bona re malè pudebit auferri. Ecclesia ab Sponso libavit osculum, quod univèrsis eius languoribus cœlicum alexipharmacum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

44 Restat etiam investigandum in testimonio ly Sui. Cuius igitur? Nihil præmife- rat. Idem inquirendum est de ly Me. Relativa patent sine antecedenti. Osculetur me (dicitur) osculo oris sui. Nescitur planè Quis petat & à Quo. Sponsa vox est, & in Sponsum intenta. Haud mireris: vehementer amans cuncta verba dirigit in cogita- ta, non ad expressa. Promptit Sponsa ore, circa quæ versabatur pectore & men- te. Vigor amoris eximius & nobile desideriorum studium haud aliud cogitat præ- ter dilectum.

Qui amat, quod amat, id habet
Videre, amplecti, osculari, alloqui

Inquit Plaut. in Mercator. Act. 4. scen. 4. v. 4. Anima amantis est dilectus animæ.

Gaudium
Sponsa dum
taxat ex
Sponso.

Euripid.

Petron.
Sanct.

Dona adven-
tus Christi.

Senec.

Ovid.

Reviit na-
tura huma-
na.

Idem.

Senec.
Iliad. 53. 4.

Amant nil
cogitat præ-
ter dilectum.

Plaut.

Cæcus amor nisi in volita. In absorpta Magdalena patet. Corpus dilecti non invenit in monumento, & primo obvianti dixit: Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ut ego eum tollam. Ioann. 20. 15, ubi vides duo relativa sine antecedente, cui referas. Christus erat, in quo altissime fixa amantis cogitatio: ideoque non dixit id, connotans cadaver: sed bis Eum, in Iesum tantum intenta. Frequenter invenitur in sacra pagina harum vocum usus, quasi sententia ex abrupto, quasi sine proposito expresso. Iob. 1. 21. Nudus egres- sum sum de utero matris mee, & nudus revertar illuc. Quò? Sepulchrum cogitabat: Osee, 10. 5. Vacas Bethaven coluerunt habitatores Samaria: quia luxit super eum populus. Vide Eum sine antecedenti, cui referre possis: Eum intelligere debes cogi- tatum, nimirum, Vitalum. Thren. 1. 1. Quomòdò sedet sola civitas? quin Vates no- minasset. Vide dicta Tom. 3. T. 12. n. 18. Psalm. 113. 2. Facta est Iudaea sanctifica- tio eius. Cuius? Dei scilicet per Antonomastiam; uti Psalm. 59. v. 3. Ipse fecit: & Psal. 148. 5. Ipse dixit. Sic ergo cum amore esset facia Sponsa, & cogitaret quanta ex nup- tiji felicitas & bona, quibus stabilis amor, cuius per osculum concedebatur pignus; in Sponsum abiorta, Osculetur me (ait) Osculo oris sui. Cogitationi, seu menti ex- flatice vocibus respondit, quin erga audientes concordantiam cogitaret; quum Spon- sa narraciones ordinant ex coniunctione & ubi necessarium recurret in locutiones internas. Et factum est, dicitur Ierem. 36. 1-31. Ion. 11. 1. Zachar. 2. 1. & Ezech. 11. 1. quo loc. Gregor. Magn. init Homil. 2. Propheta sensu spiritali aspiciant, eis que & illa sunt presentia, qua nostra ignorantia absentia videntur. Unde fit, ut in mente Prophetarum ita coniuncta sint exterioribus interiora; quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat & intus verbum, quod audiunt, & foris quod dicunt. Patet igitur causa, cur qui nihil dixerat incubavit: & factum est. Hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat, contunxit. Continnavit ergo verba. Alitruerit Augustin. in illud Psalm. 4. 4. Et scitote, quoniam mirificavit, &c. ubi; Iunctura (subdit) con- iunctionis, cum sententia non præcesserit, cui sequens annexatur; mirabiliter fortassis insinuat, prolationem veritatis in voce, cum ea visone que fit in corde, esse coniunctam.

45 Nec clam modò est, quod supr. n. 27. diximus, in huiusmodi excellentissimo Cantico non alludi in nuptias Egyptiæ Salomonis sponsas; sed in connubium singula- re Christi & Ecclesiæ. De alio loquitur (inquit Hieronym. in Isai. cap. 16. 1.) & tran- sit ad aliud; quia prophetia enigmatibus involvitur: ne sit ordinem Scripturæ conferret, non sit vaticinium, sed narratio. Ita ergo sacra Sponsa osculi sollicita, loquitur secundam internam, dictante amoris flamma & exarante lingua,

Amans quid cupiat scit: quid sapiat, non videt.
Dicitias mentis conficit omnis amor.

Acciunt Public. Syrus, v. 4. & Petronius, in Fragm. Epigr. ultim. Amor vehemens sui impotens, quò flagrantior, magis amans extra se. Sibi nec secum consistat. Amare & sa- pere quando visum? Si aliquando visum, Deo solummodò concessum; uti ibidè di- cit Syrus, v. 3. Amor sui compos, infans sanequam amor. Vide dicta, Tom. 4. Tautolog. 7. Didase. 5. Quid Sponsa? Dicit Ambros. in Psalm. 118. 1. Constitue ergo virginem desponsatam multo tempore, & in suo ferventem amore, quæ multa præclara opera dile- cti probabilius testium assertionem cognoverit, de desiderij suspensum, dilatam frequenter non ferentem iam moras, quæ omnia fecisset, ut Sponsum videret, aliquando votis poti- tam suis, ad improvisum Sponsi adventum gaudio turbatam; non querere primordia salutationis, non verborum voces, sed statim quod desiderasset, exigere. Ita sancta Ec- clesia impatiens moræ, in oscula ruit, dicens: Osculetur me ab osculis oris sui. Amplius ferre renuit moram.

At malè dissimulat. Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ut ait Profanus Epist. 15. v. 7.

46 In huiusmodi perturbatione verborum micat magnæ dilectionis specimen. Vix memin nobis verba coisse decem. Ingeniose amoris flammam promens, dixit Propert. lib. 3. Eleg. 15. v. 8. Dum urit affectus vehemens, vox faucibus hæret, sepeliunturque verba in cordis penetralibus; ut loquan- tur dicaces oculi nutibus. Si aliqua expiscata, non expressa, sed pressa proferuntur sine sensu audientibus consonò; quippe nonnunquam trunca videatur oratio. De huiusmodi

Ioann. 20. 15.

Verba inter-
dam in co-
gitata, non
ad expressa.

Autonoma-
sia.

Relativum
sine antec-
cedenti, & con-
iunctio sine
extremo.

Greg. Mag.

Augustin.

Hieronym.

P. Syr.

Petron.
Amor vehem-
entis sui im-
potens.

Ambros.

Ovid.

Propert.

loquendi stylo aliqua dixi, *Tom. 3. T. 12. num. 17.* Accipe alia. *Exod. 4. 22. Hæc dicit Dominus: Primogenitus meus Israël.* Quid? Totum subtricitur, ut affectio maxima interruptione promatur. *Isai. 33. 24. Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* *Psal. 10. 4. Dominus in celo sedes eius.* *Ruth. 1. 13. Nolite quaeso filia mi.* *Deuter. 28. 50. Gentem prociatissimam, que non deferat seni: & taceatur quid.* Hoc schema dicitur *Aposiopesis*, de quo etiam hic *Tautolog. 6. num. 26. & 7. num. 10.* Eleganter hac figurâ usi sunt Ethnici. *Sophocl. in Oedip. in colon. v. 1835. Nemesi enim:* ubi emphaticè lucer-nominativus absolutè positus. *Terentius in Eunuch. Act. 5. scen. 5. v. 19. Ego te furcifer, si vivo:* in *Adelph. Act. 2. scen. 1. v. 4. Ego iam istam, invidis omnibus.* *Invenal. Satyr. 1. v. 88. Alea quando bos animos?* Hæc figura à Donato vocatur *Ellipsis*, ab aliquibus *Eclipsis*; at vehementius exprimitur *emphalim* *Aposiopesis*, ut ait in *qq. Platonic. Plutar-arch. Dat. Apostopesis orationi virtutem, atque emphasim maiorem.* Amplior apparatus animi elucet conaminum sine apparatu verborum: verba quasi singulata amoris eximij idioma: itaque dum altè fedet amor, loquitur; sed sibi loquitur, intelligens & nesciens quid & quare loquatur.

Aposiopesis & Emphasi.

Ellipsis & Eclipsis.

Plaut.

Neque cum roget, quid loquatur cogitatum est. Ita animi in pectore incerti certant.

Verba pendula aman-tia idioma.

Uti cogitavit *Plaut. in Mercator. Act. 2. scen. 3. v. 10.* Intercisa sunt verba, ut eloquentius cordis obijciantur vota. *Virgil. 4. Aneid. v. 76. & Elog. 9. v. 53.*

Incipit effari, mediæque in voce resistit. Vox quoque Mærin

Iam fugit ipsa.

Sequuntur Propertius, lib. 1. Eleg. 5. v. 17. & Ovid. Epist. 14. v. 13:

Et quæcumque voles, fugiens tibi verba querenti;

Nec poteris, quis sis, aut ubi, nosse mihi ser.

Ter tuum conata loqui, ter inutilis hæsit

Lingua, ter in primo desistit ore sonus.

In *Epigramat. Græc. lib. 7. Epigr. 62.* dicitur: *Oris status incertus. Verbum ab ore fugit.* *Aulus Gell. lib. 19. cap. 9.* aliud ingeniosum refert ex *Valerio Aedituo*, sic:

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis.

Quid mi abste quæram? verba labris abeunt.

Per pectus miserum manat subito mihi sudor:

Si tacitus subidus, duplo idæo pecco.

Amanent sanè languor & silentium indicat, cuncta pectore versat, sese fugit & pro-vocatur pendulis verbis, quippe introrsim ignis. Unde Propert. lib. 3. Eleg. 14. v. 25. luc-cinicit:

Nullo premissio de rebus tete loquaris

Ipsæ tuis: longæ nulla repulsa mora.

Propert.

Uti *impatiens*, ita cor in dilectione *impotens*; igitur clanculùm cum uritur, magis *propalàm ignescit.*

Finiisque flammæ nullus:

Torretur astu tacito:

Quantùm tegatur, proditur:

Erumpit oculis ignis,

Et lapsa gena lucem recusant:

Nil sanè dubia placet.

Senecæ.

Ait *Seneca in Hippol. à v. 358.* Qualia *Sponse desideria* dicunt carmina. Quorsum ordi-nata verba? *Expromerent profectò ordinem mentis, sed non ordinem amoris; cui modus, nullum habere, maxime dum tacito vivit sub pectore vulnus. Amor ignorat iudi-cium, ratione caret, modum nescit: non accipit de impossibilitate solatium, nec recipit de difficultate remedium; ut sæpe diximus ex Chrysologo, ferm. 147.*

Chrysolog.

Verus amor nullum novit habere modum.

47. Adhuc in plenam testimonij claritatem, delicanda causalis *Sponse* in huiusmo-di raptum; ut prurupè quasi sine delectu peteret osculum. Sic enim ait: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua* (amores tui per oscula) vino. Quid cum vino oscula, ut fragrantiora *Sponsi* censeantur labia? Per vinum olim contrahantur spon-salia. *Gemma Simorizem ad se accersit, velut coram Dea inire sponsalia, & dare fidem cuperet. Venientem comiter excipit, adducitque ad aram: tum ex paterna libat, ac par-*

Vino inita sponsalia.

tem vini ipsa bibit, reliquum illi porrigit: ait *Plutarch. de Virtutib. Malier. num. 20.* *Apud Galatas mos* (perhibet *Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 5.*) *us ex eodem poculo vir & uxor bibant.* Inter *Hebræos* usque in hunc diem permanet usus. *Roma* habetur *benedic-tio Sponsaliorum* (inquit *Petrus Gregorius Tolosanus, Syntagm. iuris lib. 9. cap. 5.*) *in qua præpositus sumit calicem, postea bibit vinum, & deinde propinat Sponsi & Sponsæ Libatio* vini erat ritus fœderis inter virum & fœminam, quo sanciebantur sponsalia, amplexu verò & osculo firmabantur coniugia; uti *Astrucianus num. 37.* floridèque *Origenes in Cantis.* *Homil. 1.* Propinavit *Sponsus* vinum, delibavit etiam *Sponsa*: at cum nuptia confirmarentur plusquam vino, *Sponsi* osculo & amplexu; osculari osculo iam sponsa desiderat: igitur nuptiarum manera, firmiora pignora, magisque æstimabilia quam sponsalia. *Pridem* gaudebat spe, in osculo fruebatur: & labia erant chariora, fra-grantiora vino; quoniam in spe de futuro, modò gloriabatur de præsentij gaudio. Pro quo sciendum hæccine verba non esse prima historice, sed dramaticè, per choros metri-cè: ita ut allasio fiat in caput Canticij quintum, uti meritò autumat *Doctus.* Sanctius hic n. 2. Priùs introducta in *Cellam* vinariam, qua non data charitas, idest, *Osculum* (qua de causa, ut vidimus n. 38. labia *Sponsi* & oscula dicuntur charitates) sed ordi-nata solummodò. *Bibit vinum:* cap. 5. 1. fœdus factum: verum quid? Carebat oscu-lo, quod exoptat dicens illi: *Meliora sunt ubera tua vino.* Gratiore oscula inito fœde-re. *Quippini* optem, cum sim prima & unica, osculum oris; ubi adolescentule gaudent memores amorum, osculorum, uberum tuorum super vinum.

Plutarch. Alex. Alex.

Petr. Greg.

Osculo cœna iugia.

Cant. 2. 4.

Desideria Sponse in dilectis ut sint unum.

Bernard.

Eccli. 24. 5. 12.

Prov. 8. 22.

Dionys. Arcop. Qualis notionalit sapientia?

Colof. 1. 15. 17.

48. Hæc de osculo, de qualitate oculi, de imprimentè & exoptante; quo patet Verbi Divini incarnationem exposci. *Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur:* uti vidimus ex *Bernardo*, n. 30. Investigare modò operæpretium est, quomodò caro factum, & quomodò ut fieret caro, decretum, *Eccli. 24. de Sapientia Dei incarnata dicitur: Primogenita ante omnem creaturam: Creator omnium, & qui creavit.* *Præmissum cap. 1. 3. 4. Sapientiam præcedentem omnia. Prior omnium creata est sapientia.* *Proverb. 8. In initium viarum suarum, antequàm quicquam faceret à principio.* Ergo sapientia de qua sermo, creata: si creata, excludere debemus sapientiam Dei essentialem, SS. Trinitati communem, & simul sapientiam Notionalem, sive Personalem Verbi Divini, à Patre geniti. Unde *Eccli. 1. 5. Fons sapientie verbum Dei in excelis.* *Dionysius de Divin. nominib. cap. 2.* ita sublimiter loquitur: *Essentia super essentiam extans, ab omni essentia penitus absoluta: universa principia ordinisque determinans: super omne principium, ordinemque locata, mensura tantum est, & ævum; atque super ævum ante ævum: plena quidem in rebus vacuis, in plenis autem exuberans; ineffabilis, non pronunciabilis: super intellectum, super vitam, super essentiam: supernaturale munus supernaturaliter habens: superessentialiale etiam ratione. Quam ob rem quando usque ad naturam ob summam benignitatem venit, verèque substantiam nostræ carnis accipit, summusque ille Deus vir est appellatus, tunc quoque in his supernaturalis & superessentialiale munus emicuit.* Investigandum ergo, de qua sapientia est sermo in præfatis locis; & cur tot tautologijs similiter expressa: quo nimirum intuitu dicitur, *Ante omnem creaturam, si Primogenita præmittitur? quare Præcedentem omnia, si Prior omnium creata? Ita dereliquis, uti videmus apud Apostolum dicentem: Primogenitus omnis creatura: ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

49. Primò agendum est de voce *Primogenitus*: missumque facimus, an rectè dicatur *Primogenitus*; vel aptius, *Primigenitus*? Hæc ultima vox magis Latina videtur, & est, uti decertat *Laurentius Valla* contra *Barthol. Facium.* *Latina nomina* (inquit) *& cum componuntur, non O, quod Græcum, sed I. volunt; ut enim illi dicant: Theologus, Sarcophagus, protomartyr, & id genus alia; ita Latini dicunt Armiger, corniger, lucifer, primicerius, principilus, primigenitus: non primogenitus, sicut non primo-carius, &c. 10!* Grande præter certamen: sed de voce. *Valla* non præteribit loca unum, donec cuncta Latina fiant.

Laur. Vall. Primogeni-tus, an pri-migenitus opti-mus?

Horat.

Romani tollent equites, peditesque cacbinum. Sine offensione *Vallæ* non possumus Latine dicere *Sacrosanctum*, nec Græcè *Poligamum.* Apud *AA.* utroque modo invenies. Vide *Tiraquell. in Præfat. de Iure primigenior. à n. 1. & Turneb. in Adversar. lib. 19. cap. 16.* Aliquid hic annotabimus de *Primogenitis* præter dicta, *Tom. 2. T. 5. à n. 15. & T. 10. à n. 1.*

50. *Primogenitum* aliqui arbitrantur, posse dici respectu patris & respectu geni-tri-

tricus. Si patris dicitur *Protogenes*, vel *Protogenos*; si matris, *Prototoces*, vel *Prototocæ*. Primogenitus haud semper natos connotat alios. Est igitur Primogenitus primogenitus, est alij non nati: idest, qui aperit vulvam, ut frequenter dicitur in sacra pagina; relativum *Qui* pro voce exegetica. Hoc est, qui aperuerit vulvam, primogenitus dicitur, et post illum genitus nullus. *Primogenitum* (ait Hieronymus in *Matth. 1. 23*): non eum vocant divina scriptura, quem fratres sequantur; sed eum, qui primus natus. Unde Christus dicitur *Protogenos*: Hebr. 1. 6. *Cum iterum introducat primogenitum in orbem terra*. Eccli. 36. 14. *Israel, quem coequavit primogenito tuo*. Etiam dicitur *Prototoces*: *Natth. 1. 25*, & *Luc. 2. 7*. de Maria: *Peperit filium suum primogenitum*. Constat liquidò acceptio ex *Numer. 18*. Ibi conceduntur primogenita sacerdotibus: *Quicquid primitiam erumpit de vulva cunctæ carnis*, &c. v. 15. Si unigenitus non posset esse primogenitus, sed tantum quem alij ordine naturæ sequerentur; quousque nasceretur illi alij nihil de primò edisis in lucem quibane percipere sacerdotes: etenim partu alio non subsecuto, non esset primogenitus, sed unigenitus. Operire debent, quibus primogenitorum ius in alimenta celsis, futuros nasci ut sibi concessa vendicarent: ludicrum, sanè. Ad D. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. ad 4. & hic Suarium, *sect. 3*. Sic vernacule dicimus; dum primus in familia nascitur, *Mayorango*.

51. Primogenitus etiam dicitur magnoperè dilectus. *Exod. 4. 22*. *Filius meus primogenitus Israël*: dicit Deus. *Ierem. 31. 9*. *Ephraim primogenitus meus*. Quia primogenitus magis diligitur, ut Dominus erga Israël & Ephraim demonstraret amorem; primogenitum vocat: *Quid dilecti mei? Quid dilecti mei? Quid dilecti votorum meorum?* dicit *Berchabee* filio Salomoni: *Proverb. 3. 12*. *Quid primogeniti mihi legitur?* dicitur: *Noluit contristare spiritum Annon filij sui; quoniam diligebat eum; quia primogenitus erat ei*. Item *Zachar. 12. 10*. *Dolebunt super eum; ut doleri solet in morte primogeniti*. Hinc primogenitus, estò sint alij, signatur unicus, ob dilectionis indicem; quoniam qui unicus magis dilectus. *Unigenitus* dicitur Salomon, *Proverb. 4. 3*. cum tres alios fratres haberet: 1. *Paralip. 3. 5*. liquidem præcunctis dilectus, & electus ut videbitur num 53. *Homer. 3. Iliad. v. 8*. *Filiam unicam amabilem*. Alijs testimonijs parco quia fusc egi de acceptione *Tom. 2. loc. cit.*

52. Cum primogenitus primus & princeps, quasi eximius; qui primi vel optimi in quolibet ordine, primogeniti dicebantur. *Genes. 4. 4*. *Abel obtulit de primogenitiis gregei sui* (hoc est, selectioribus, estimabilioribus) *de adipibus eorum*. *Psalms. 88. 20*. *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ*: idest, principem excellentissimum. *Isai. 14. 30*. *Primogeniti pauperum*: nempe, pauperum. *Iob. 18. 13*. *Primogenita mors*: scilicet, acerbissima. *Quicquid optimum*, Hebraismo vocatur primogenitum. Fax modò elucet in illud *Numer. 18. 26*. *Cum acceperitis à filiis Israël decimas primitias earum offerte Domino*. Si decimæ fructuum sunt, nequeunt esse primitia, quæ primi fructus. Ibi ergo primitia intelliguntur selecta decimarum. Idem dicendum ad illud, *Ezech. 47. Per singulos menses offeret primitiva*: hoc est, fructus selectos & optimos. Patet ibid. *cap. 44. 30*. ubi ius sacerdotibus *Primitiva omnium primogenitorum*: nimirum selectissima victimarum. Haud Profanos latuit huiusmodi loquendi usus. *Sil. Ital. lib. 4. Bell. Pœnic. v. 430*. ait: *Primitias puzne*. *Virgil. 1. 1. Aeneid. v. 16*. *De rege superbo primitia*: & *Ovid. 3. Fastor. v. 724*. *Primitias magno supposuisse Iovi*: putà, spolia prima opima: namque erant secunda, & tertia; ut observat *Servius* in illud, 6. *Aeneid. v. 859*. *Tertia suspendet capta Quirino*. Consule *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14*. *Fortuna ab Ethnicis dicta Primitia*: de quo *Giral. Syntagm. 16. n. 9*. & plures alij, exhibiti loc. cit. *Tom. 2. & in Ephemerid. 25. Maij*. Ita nominata fuit à Servo *Tullo*, quippe cum desperaret venire in regnum, qui filius servæ *Tanaquilis* reginæ; ludo *Fortunæ* factum: quod quidem vel ille cognovit, dum statum erexit, ædem construxit, & *Fortunæ* *Primitiæ* nominavit: hoc est, *Fortunæ fortunatissimæ*, *Fortunæ optimæ*; cuius in regnum auspicionis decretum vel dignatus iudicavit impossibile. *Gratus Fortunæ* extra *Fortunam* respondit, cuius collarum manus nec ipse spe plenus cogitavit, *Primitia* fuit, quippe in *Tullam* quasi in primigenium pronæ: etenim illum, principem erexit usque in regni fastigia. *Claret primogenitum accipi pro principe*. Sic *Sedulius, lib. 2. v. 1*. de *Adamo* succinit:

*Expulerat primogenitum sevisimus anguis
Florigeræ de sede virum.*

Sedul.

Idest,

Idest, orbis Principem, Regem summum. Hoc intuitu propter singularem Dei excellentiam, dixit *Orpheus* in *Hymn. Illium* Primogenitum. *Protogonon* *Phaeton* *Perimecos*. Refert *Lactantius, lib. 1. de Fals. Religion. cap. 5*. Ita ergo plauditur ut *Rex Regum* & dominorum *Dominus*; ut prælibavimus supr. n. 8. Eodem proposito *Claudian. 2. de Laud. Stilicon. v. 8*. dicit de *Clementia*, *Maxima nata calicolum*: quasi quid præ cunctis excellentissimum; quare *Psalms. 144. 9*. *Miserationes eius super omnia opera eius*. *Alla videtis, Tom. 3. Taut. 8. n. 47*.

53. Alla etiam acceptione dicitur primogenitus, qui non est, quàm scilicet quis destinatur successor familie, principatus vel regni, de quo locuti sumus præcit. *Tom. 2. Tautolog. 5. à numer. 17*. Hincque de *Salomone* dicitur: *Primogenitum ponam illum*. Non erat primogenitus, & tamen dicitur, quia *Davidis* successor. Ideo dicit *Ponam*, quasi eligam: roboraturque à *Davide 1. Paralip. 28. 5*. regni. dicente: *De filiis meis elegit Salomonem, ut sederet in throno regni*. *Adonias* elevabatur dicens, *Ego regnabo*: 3. *Reg. 1. 5*. Tameñ iure naturæ prior *Salomone* non dicitur primogenitus, quippe non hæres imperij. Modò intelligitur antilogia, quæ primo intuitu videtur difficilis. *Ibid. cap. 26. 10*. *Semri princeps*. Non enim habuerat primogenitum, & 1. *Paralip. 26. 10*. *icivros posuerat eum pater eius in principem Helcias secundus*, &c. Si tot filios habuit, quomodò nullus inter illos primogenitus? *Ly Habuerat* (*Enallage* est) pro *habebat*: præteritum plusquam perfectum pro imperfecto. Dum pater constituit *Semri* principem familie, non habebat primogenitum superflitem: ideoque pro primogenito, est haberet alios natu maiores *Semri*, elegit in primogeniti dignitatem; uti factum eum *Salomone*. Hebr. *Quia non fuit primogenitus, posuit eum pater in principem*. *Abraham* genuit *Isaac*, qui *Genes. 22. 2*. *Unigenitus* dicitur. Habuit sane fratrem *Ismaelem* natu maiorem; verum *Ismael* non dicitur primogenitus; quoniam *Isaac* successit in splendorem domus, donaque paterna. *Ruben* primogenitus fuit *Iacob*: & quia patri in primogenituræ munera non successit, imò dignitatem amisit; non dicitur primogenitus nisi in ordine ad ortum. *Data sunt primogenita eius filiis Ioseph, filij Israël*: & non est ille reputatus in primogenitum. 1. *Paralip. 5. 1*. *Iudæ* celsis Principatus: v. 2. sacerdotium *Levi*. *Exod. 28. 1. Numer. 8. 16* & 18. à v. 1. *Ioseph* primogenitura, idest, duplex pars in paterna hereditate; uti præscribitur, *Deuter. 21. 17*. Unde *Ephraim* & *Manasses* duplicem in distributione terræ sanctæ constituerunt tribum. Sic igitur ut canit *Baptist. Mantuan. Eclog. 10. v. 61*.

— Qui cum sint ordine primi, Primatum amittunt.

Plura concernentia, & proposito haud dissona præmissi, *Tom. 2. Tautolog. 10. num. 2*.

54. Cunctis igitur in acceptionibus dignitas primigenij convenit Christo Domino, homine Deo. Non de *Salomone* intelligitur, nec quit intelligi propriè: *Ego ero ei in patrem*; & ipse erit mihi in filium. 2. *Reg. 7. 14-1. Paralip. 17. 13* & 22. 10. sed de Christo *Aferatore* nostro, filio Dei naturali, assumpta carne ex virgine matre, & in virgine. Cui enim *Angelorum* dixit aliquando: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Cui *Ego ero illi in patrem*, & ipse erit mihi in filium? Si nulli ex lubstantiarum ordine spiritualium, cuiusamque coetu hominum? Hunc decrevit vel in carnis ponere primogenitum, excelsum præ regibus terræ; huncque constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula. Omnia posuit ei pater in manus, & dedit ei gentes hereditatem suam: qui est *Imago Dei* invisibilis, *primogenitus* omnis creatura; quoniam in ipso condita sunt universa in caelis & in terra, visibilia & invisibilia. *Primogenitus* & unigenitus *Patris*, filius dilectionis suæ, in quo sibi benè complacuit. *Recitè primogenitus* (ait *Ambrosius* in *Epist. ad Rom. 8. 29*) *qui ante omnem creaturam non factus, sed natus est: ad cuius exemplum Deus homines in filios sibi adoptare dignatus est*. Ita ergo filius Dei & filius hominis, homo-Deus, Deus de Deo, ex Patre natus ante omnia sæcula: homo de Virgine in plenitudine temporis: *Deus qui nos fecit, homo qui nos quasi fecit. Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore*; ut inquit *Augustin. in Ioann. tract. 28*. Hic est *Christus, Sapiencia* nimirum incarnata, *primogenita ante omnem creaturam*.

55. Priusquam huius testimonij & affinium expositionem aggrediar, inimici veritatis proterendi sunt; quoniam titulo novitatis, in parum cautos ingerunt errores. Unus in fide male audijt: alter à fidei quæstoribus suffocatus, antequam audiretur.

Primogenitus pro principis.

Claudian.

Pro herede familia, seu for.

Enallage.

Mortuus primogenito successit patre, penes illum erat electio cuiuslibet filij in munus.

Mantuan.

Hebr. 1. 5.

Verf. 2. Christus primogenitus & unigenitus Patri.

Ambros.

Augustin.

Suc.

Succumbet unus & alter. Inconcoisum utique apud AA. summi subfellijs falsam esse huiusmodi propositionem: *Christus est creatura*, nisi cum additione; *secundum naturam humanam*. Verum sane, humanam Christi naturam fuisse creatam; sed falsissimum Christum esse creaturam: igitur cum sit eadem hypostasis natura utriusque, quae divina, utpote Creatoris; etiam in humanitate, qui Creator, creatura nequit esse. Prædicata igitur, quae humanitati conveniunt, includentia negationem, cuius affirmatio divino convenit Verbo, nequeunt affirmari de Christo, qui est Verbum Dei. Creatura incipit esse: iccirco dicitur pro expresso negationem, scilicet, non semper fuisse. Verbum Patris: semper fuit: Christus est Verbum Patris: unde Christus nequit dici creatura, cuius conditio est, in tempore fuisse. Quod aeternum, non in tempore. Christus homo est, sed creatura non est; quavis conditio sit hominis, creaturam esse. Prædicatum enim hominis non repugnat Christo, qui verus homo: at repugnat prædicatum creaturae, de cuius conditione est, aliquando non fuisse; quia semper fuit, cui hypostasis Verbi Dei. Communicatione enim idiomatum, *Iesus Christus veri & hominis ipsi & in secula*. Non habuit esse post non esse, quod requiritur ad creaturæ essentiam, dum ex nihilo sit quid: quando Christus nihil, qui uti Dei Verbum semper erat apud Patrem? *Cum illo fuit semper & est ante eum*. Unde cum Christus non sit homo purus: quia tunc excluderet divinitatem: nec pure Deus, humanitatem excludens, sed Deus & homo; creatura nequit dici: etenim hocce prædicatum excluderet prædicatum Creatoris. In rationem creaturae, non solum necesse est, quod habeat esse post non esse, sed quod illi, habere esse post non esse, non repugnet. Hoc est, etiam ex nihilo non sit actu, quod possit produci ex nihilo: Christus ex nihilo non productus, nec productibilis est: illi sanequam repugnat, esse post non esse habere: equidem semper erat Verbum, & hoc erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum. Dum dicitur, *Homo factus est, & natus ex Maria Virgine*, incipit esse quod non erat, sed non amittit quod erat. Sic Christus homo factus, ut non desisteret esse Deus. *Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem*: Augustin. quò dudum. Non cepit esse simpliciter. Incipit esse homo, sed non simpliciter esse; quippe iam habebat esse, antequam homo ex Virgine ferret. Connotatur suppositum aeternum: & aternitati repugnat incipere. Non aeternum, de quo dicitur potest aliquando non fuisse. Christus enim semper fuit, qui in incarnatione posset transire de non esse ad esse essentialia creaturae. Perperam fieri potuit, vel incipere esse, illo qui vel ab aeterno erat, priusquam homo ferret. Si creatio est ens subsistens produceretiam subsistebat, dum Verbum factum est caro.

56 Unde cum Christus habeat divinam, simulque humanam naturam; falsum est; creaturam posse dici, si propositio suppositum connotat: perperam quippe adferribitur simpliciter toti, quod ei convenit duntaxat ratione partis. Si verò subiectum connotat, hoc est, naturam humanam, est propositio vera; quia tunc reduplicat id quod factum: reque facta est humana Christi natura. Siccine exponuntur proleive quae videntur testimonia opposita in sacra pagina; ut illud Ioan. 10. 30. & 14. 28. *Ego & Pater unum sumus: Pater maior me est*. Nimirum *Secundum divinam, vel humanam substantiam*. Roborat Augustinus, *Epistol. 57. ad Dardanum*. *Cum enim sit Christus* (inquit) *Deus & homo, Deus utique, unde dicit, Ego & Pater unum sumus: homo autem, unde dicit, Pater maior me est, idemque filius Dei unigenitus à Patre, & Filius hominis ex semine David secundum carnem; utrumque in illo observandum est, cum loquitur, vel cum de illo Scriptura loquitur, & quid secundum quid dicatur, intuentium. Nam sicut unus homo est anima rationalis & caro; sic & unus Christus est Verbum & homo; proinde quod ad Verbum attinet, Creator est Christus: Omnia enim per ipsum facta sunt: quod verò ad hominem, creatura est Christus: Factus est enim ex semine David secundum carnem, & in similitudinem hominum factus. Idem incolect lib. 1. de Trinit. cap. 13. capiteque 11. præmisit: Distinguamus quid sonet secundum formam Dei, in qua equalis est Patri; & quid secundum formam servi, quam accepit; in qua minor est Patre. Sic non conturbabimur tanquam contrarijs ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententijs. Dum aliquid de Christo dicitur, quid & secundum quid, & propter quid dicatur, cogitandum est; ut ait D. Thom. 3. part. quæst. 16. art. 4. In propositione (subdit) in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum; sed etiam secundum quod de illo prædicatur. Quavis ergo non distinguantur ea, quae prædicantur de Christo, distinguuntur tamen secundum id, secundum quod utrumque prædicatur. Unde verum est, *Filius Dei**

Incumbit
Christus non
est creatura
Incumbit
Hebr. 13. 8.
Eccl. 1. 1.
Ioan. 1. 1.
Agustini
Eius hypo-
stasi Verbi
Dei.
Incumbit
Quomodo
verum, Chri-
stus est crea-
tura
Ioan. 10. 30
& 14. 28.
Augustin.
Quomodo
equalis &
minor Pa-
tri
Idem.
D. Thom.

factus est, scilicet, homo. *Incepit esse*, nimirum, homo. *Christus est creatura*: nempè, secundum quod homo. Quam propositionem concedit idem Angel. Doctor ibid. art. 10. meritoque negat art. 8. Christum esse creaturam, nec posse dici.

57 Sic August. *Epist. cit.* Christum dicit creaturam, & 1. de Trinit. cap. 6. Christus creatura non est. Optimè Fulgentius de *Incarnat. cap. 10. Verbum incepit esse Christus: Verbum tamen mansit aeternum, & caro in ipso jumpsit initium*. Ad Suarium in 3. part. dist. 37. scilicet. 2. Ita ergo intelligendi sunt PP. & DD. Orthodoxi dum Christum dicunt creaturam. Leo Papa, videlicet, serm. 9. de *Nativit.* & serm. 3. in *Pentecost.* Hieronym. in *Epist. ad Ephes.* 2. 10. Ambros. de *Fide*, lib. 3. cap. 4. Gregor. lib. 5. in *Iob*, cap. 25. Fulgent. de *Fide ad Petr.* cap. 45. & de *Incarnat.* cap. 2. Damascen. de *Fide orthodox.* lib. 3. cap. 4. Nazianzen. *Orat.* 34. Cyrill. Alexandr. lib. 5. *Theaur.* cap. 4. & Hieronym. de *Trinit.* lib. 12. Hac enim de causa contraria verificantur de Christo, uti Christus est immortalis: passibilis, impassibilis: creabilis, increabilis: aeternus, temporalis, &c. quae omnia absolute concedenda non sunt, nisi replicando propter quid, & secundum quid dicantur. Ita haud opponitur, quod dicit apud Ioan. 5. 22. *Omne iudicium dedit filio, & cap. 8. 15. Ego non iudico quemquam*. Antheis videtur perspicua: *Utrumque* (ait Augustin. ubi dudum de Trinitat. cap. 13.) *dicitur potest: & filius hominis iudicabit, & non filius hominis iudicabit*. Pariter pluralia testimonia, quae secundum diversas naturas contraria non sunt: etsi videantur contraria. Aliqua videtis in Augustin. loc. cit. Rationem astruit D. Thom. quò sup. art. 5. *Ea quae sunt (inquit) propria unius, non possunt verè de alio prædicari, nisi de eo quod est idem illi; sicut risibile non convenit nisi ei, quod est homo. In mysterio autem Incarnationis non est eadem natura divina & humana; sed eadem est hypostasis utriusque natura: & ideo ea quae sunt unius natura non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significantur. Nomina verò concreta supponant hypostasim natura: & ideo indifferenter prædicari possunt ea, quae ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis: sive illud nomen de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen Christus (in quo intelligitur & divinitas ungens, & humanitas uncta) sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei: sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen Homo vel Iesus. Unde Leo Papa dicit Epist. 83. Non interest, ex qua Christus substantia nominetur; cum inseparabiliter manente unitate persone idem sit & totus filius hominis propter carnem; & totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem. Nihil ultra. Hæc est idiomatum communicatio, ut ait Damasc. n. 3. de *Fide Orthodox.* cap. 4.*

58 Ariani asserbant Christum etiam secundum divinitatem, vel in quantum Verbum Dei creaturam esse: nostræque Tautologiae testimonio, & alijs auctoritatibus ita constare. Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi*, tanquam à principio, dicebant. Si Pater principium filij, filius sanè principatus: si principatus, creatura, quippe factus, utpote subditur: *Primogenita ante omnem creaturam*. Si Verbum, quod Sapientia Patris creatura non esset, non diceretur Primogenita creaturarum, uti Christus plauidetur à Paulo, Coloss. 1. 15. *Primogenitus omnis creaturae*. Qui primogenitus, est eiusdem naturae cum reliquis, quorum primogenitus. Homines enim prædelinavit Deus conformes fieri imaginis filij sui Iesu Christi, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: Rom. 8. 29. Astruitur etiam cit. Eccl. cap. v. 12. ubi: *Creator omnium, & qui creavit me: & v. 14. Ante secula creata sum. Ante secula, quia Verbum Patris: creata sum, quia creatura: hinc præmittitur, Ab initio: equidem est prior omnibus, habuit initium, ut creatura: quod quidem Siracides perspicue expressit cap. 1. v. 9. Ipse creavit illum in Spiritu Sancto. Profectò fons Sapientiae: Verbum Dei: quod utriusque quantumvis præcedat omnia, creatura; quia prior omnium creata: v. 3. & 4. Hac de causa Baptista dixit de Christo, ut Patris Verbo: *Ante me factus est*. De illo uti de homine loqui nequitur: etenim sex mensibus Christum Ioannes præcedebat. Luc. 1. 26. Deinde, quia Christus dicitur *Filius dilectionis & imago Dei: Imago, quia per illum Deus qui invisibilis videtur: & dilectionis filius, quippe non naturalis, genitus necessario; sed gratiæ duntaxat; dilectionis arbitrio*. Incirco vel ipse filius dixit: *Pater maior me est*: Ioan. 14. 28. Si Patri esset æqualis, uti naturalis filius, sciret quicquid Pater fecit: illeque interrogatus de die universalis iudicij, asseveravit: *De die autem illo & hora nemo scit, nisi solus Pater*: Matth. 24. 36. clariusque Marc. 13. 32. *Neque filius, nisi Pater*. Hinc Patrem Deum solum vocat, Ioan. 17. 3. *Hæc vita aeterna, ut cognoscat**

Fulgent.
Quo passo
contraria ve-
rificatur de
Christo
Ioan. 5. 22.
8. 15.
Augustin.
D. Thom.
Leo Papa
Eccl. 24. 5.
V. 12. & 14.
Fundamen-
ta erroris
Arianorum.
Ioan. 1. 26.
Colos. 1. 13
& 15.
Ioan. 14. 28
Matth. 24.
36.
Marc. 13.
32.
Ioan. 17. 3.